

**2001-04-06 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Sacerdotem In Primis’****IOANNES PAULUS PP. II**

**PISTULA DATA  
VILLELMO WAKEFIELD S.R.E.  
CARDINALI BAUM  
POENITENTIARIO MAIORI**

*Venerabili Fratri Nostro  
VILLELMO WAKEFIELD S.R.E. CARDINALI BAUM  
Paenitentiario Maiori*

Sacerdotem in primis te, Venerabilis Frater Noster, aeterno Sacerdoti Christo penitus deditum eiusque simul peregrinanti Populo ab initiis devotum consalutamus Nos ex animo per harum Litterarum Nostrarum interpretem vocem atque in media ipsa Dei Ecclesia sacerdotium libenter concelebramus longinquum tuum, appropinquante videlicet iam ob singulare Magistri Iesu beneficium aureo eiusdem faustoque iubilaeo.

Etenim quinquagesimus ipse explebitur die proximi mensis Maii duodecimo annus, cum optatum a te semper curriculum ministerii presbyteralis iniisti apud gregem dilectum Kansanopolitanum, unde studium etiam et impetum concepisti ad complura postmodum in vinea dominica aggredienda et absolvenda opera officia munera, quibus sacra tua est semper illustrata ac fecundata industria. Has ideo vitae tuae laudes constituimus hodie Nos ante oculos, quas alibi plurimi aequabiliter commemorabunt, dum vehementer profecto de toto hoc tuo vario et multiplici apostolatu tibi veluti praesentes gratulamur.

Meritis autem iam conspicuis, quae in stationibus parochi dioecesani tibi cumulaveras necnon intra Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum ipsamque Conferentiam Episcoporum nationis tuae, causas maxime oecumenismi sedulo procurans, addita divinitus est episcopalis ordinis plenitudo, prius in praecipuam commoditatem ecclesiae Campifontis-Capitis Girardeauensis, deindeque in utilitatem spiritualem archidioecesis Washingtonensis. Viginti quinque vero abhinc annos ad Decessoris Nostri immortalis memoriae Pauli VI voluntatem ingressus feliciter Patrum Ecclesiae Purpuratorum collegium, novos eosque feraces operae tuae sacerdotalis campos percurrere coepisti in huius Apostolicae Sedis ministerio, unde universalis per terras ecclesialis communitas abundantes haurire potuit Dei gratias in omni quidem parte ac provincia vitae Ecclesiae ad haec usque tempora nostra.

Etenim decem annos continuos tua pro prudentia Educationem Catholicam veluti illius Congregationis Praefectus laudabiliter es per universam Ecclesiam moderatus. Deinde vero undecim iam superiores annos ministerium salutare gratiae atque indulgentiae pro Deo in terris praecipuum exsequeris tua ex statione Paenitentiarii Maioris universae ecclesialis communitatis.

Manent igitur, Venerabilis Frater Noster, ac diu posthac sunt haec presbyteratus tui mansura monumenta, quae eximia in Eucharistiae sanctissimae mysterium pietas numquam non genuit aluitque. Testimonium pariter durabit vitae tuae luculentum, quam a prima adulescentia totam Christi Redemptoris adiutorio, Populi Dei servitio, Ecclesiae Matris dedicare voluisti sacerdotali ministerio. Augebit certe in immensum dignitatem tuam inter pastores Ecclesiae anniversaria quinquagesima celebritas ordinationis tuae sacerdotalis die duodecimo Maii mensis, cum te apud Divinum Remuneratorem precantes cogitabimus tibique supplices non solum splendidum exoptabimus diem, verum plurimam postea caelitus consolationem, dierum serenitatem, firmitatem salutis, praemiorum ubertatem.

Illorum pignus et munerum caelestium auspex esto, Venerabilis Frater Noster, Apostolica Nostra Benedictio quam largiter tibi tuisque singulis necessariis et sociis et amicis cum hac Epistula transmittere curamus.

*Ex Aedibus Vaticanis, die VI mensis Aprilis, anno MMI, Pontificatus Nostri vicesimo et tertio.*

**IOANNES PAULUS PP. II**